



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum veritas sit magis declinet in minus? 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

cio veritatem cōfiterur, aut verum testimonium dicit. Et hæc veritas est quidam particularis actus iustitiæ; & non pertinet directe ad hanc veritatem, de qua nunc loquimur: quia scilicet in hac manifestatione veritatis principaliter homo intendit ius suum alteri reddere. Vnde Philos in 4. Ethic. \* de hac virtute determinans dicit, Non de veridico in confessionibus dicimus, neque quæcumque ad iustitiam vel iniustitiã contendūt. Veritas autem doctrinæ cōsistit in quadam manifestatione verborum, de quibus est scientia. Vnde nec ista veritas directe pertinet ad hanc virtutem: sed solum veritas, qua aliquis & vita, & sermone talem se demonstrat, qualis est; & non alia quàm circa ipsum sint, nec maiora nec minora. Verumtamen quia vera nobilia, in quantum sunt à nobis cognita, circa nos sunt, & ad nos pertinent: secundum hoc veritas doctrinæ potest ad hanc virtutem pertinere, & quæcumque alia veritas, qua quis manifestat verbo vel facto quod cognoscit.

lib. 4. c. 7.  
parum a  
me. 5.

ARTIC. IV.

*Vtrum virtus veritatis magis declinet in minus?*

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod virtus veritatis non declinet in minus. Sicut enim aliquis dicendo maius, incurrit falsitatem, ita & dicendo minus: non enim magis est falsum quatuor esse quinque, quàm quatuor esse tria. Sed omne falsum est secundum se malum & fugiendum, ut Philosophus dicit in quarto Ethic. \* Ergo veritatis virtus non plus declinat in minus quàm in maius.

571  
inf. 9. 129  
a. 3 ad 5

**¶ 2** Præterea, Quod una virtus magis declinet ad unum extremum, quàm ad aliud, contingit ex hoc, quod virtutis medium est propinquius uni extremo quàm alteri: sicut fortitudo est propinquior audaciæ quàm timiditati. Sed veritatis medium non est propinquius uni extremo quàm alteri: quia veritas, cum sit æqualitas quædam, in medio punctuali consistit. Ergo veritas non magis declinat in minus.

lib. 4. c. 7.  
ante me.  
10. 5.

**¶ 3** Præterea, In minus videtur à veritate recedere, qui veritatem negat, veritati aliquid subtrahens: in  
Sec. Sec. Vol. ij. Pp maius



maius autem qui veritati aliquid superaddit. Sed magis repugnat veritati qui veritatem negat; quam qui superaddit: quia veritas non compatitur secum negationem veritatis, compatitur autem secum superadditionem. Ergo videtur quod veritas magis debeat declinare in maius, quam in minus.

*lib 4. c. 7. circa me 20. 5.* SED contra est, quod Philos. dicit in \* 4. Ethic. quod homo secundum hanc virtutem, magis a vero declinat in minus.

*l. 4. Ethic. c. 7. circa me. r. 5.* RESPONDEO dicendum, quod declinare in minus a veritate, contingit dupliciter. Vno modo affirmo: puta cum aliquis non manifestat totum bonum quod in ipso est, puta scientiam, vel sanctitatem, vel aliquid huiusmodi: quod fit sine præiudicio veritatis, quia in maiori etiam est minus. Et secundum hoc, hæc virtus declinat in minus. Hoc enim, ut Philos. \* dicit ibidem, videtur esse prudentius, propter onerosas superabundantias. Homines enim qui maiora de se ipsis dicunt quam sint, sunt alij onerosi, quasi excellere alios volentes. Homines autem qui minora de se ipsis dicunt, gratiosi sunt, quasi alij condescendentes per quandam moderationem. Vnde Apostolus dicit 2. ad Cor. 12. Si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit ex me. Alio modo potest aliquis declinare in minus, negando, scilicet ut neget sibi inesse quod inest. Et sic non pertinet ad hanc virtutem declinare in minus: quia per hoc incurreret falsum. Et tamen hoc ipsum esset minus repugnans veritati, non quidem secundum propriam rationem veritatis, sed secundum rationem prudentiæ, quæ oportet saluari in omnibus virtutibus. Magis enim repugnat prudentiæ (quia periculosius est & onerosius alijs) quod aliquis existimet, vel iacet se habere quod non habet, quam quod existimet, vel dicat se non habere quod habet. Et per hoc patet responsio ad obiecta.